

Bibliothèque numérique

medic@

**Pietre, Nicolas - candidat / Ponson,
Pierre - président. - Est ne proprii
cordis in foetu actio ut hepatis et
cerebri ?**

1596.

[Paris]

Cote : ms 73 n°245

AD QVODLIBETARIAM
QV AESTIO MEDICA

MATVTINIS EXAGITANDA DISPV TATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICORVM
die Iouis 21. Nouembris, Spectatissimo viro D. Petro Ponfon Doctore Medico, moderatore prudentissimo.

Est ne proprij cordis in foetu actio vt hepatis & cerebri?

VLTIMI alimenti residuum, ex toto corpore restitum & congenita attractum, illorumque substantia elaboratum, spirituum denique concursu secundum, semē nuncupatur: quod ab utroque parente actu iam animatum, in utero fundum nec non ceruicem in gravidis praesertim, emissum, eiusque sinu unico non multiplici conceptum, proximum ortus nostri principium instituit natura, ex quo & materno sanguine, altero generationis nostrae non solum materiali, sed etiam efficiente principio, fetus partes omnes simul constituerentur: tribus imprimis conformatis vita principis, hepate, corde, cerebro, horumque praecipuis isque similari- bus instrumentis, vena, arteria, nervo, quorum opera, haec tria facultatum (quibus vita definitur) velut promptuaria, triplicem spiritum unā cum facultate, corporis singulis partibus subministrarent, insitque vitali & naturali facultatibus, superpetas ferrent, humidi primigenij exhaustu perpetuo dissolutis.

CONFORMATAS fetus partes, cum nutriti esset necesse, maternus sanguis ex coctione secunda superfluum, nullo qualitatibus vitio, per venam umbilicalem effusus, hepar sanguinis fontem, venarum nutritionisque principium adit, eiusque parenchyma effingit. In cuius deinceps officina, maternus idem sanguis semel atque iterum confectus, fetus naturam asciscens, secretis reliquis inutilibus, bile, sero, pituita, & melancholico hu- more purior, partibusque alendis iam idoneus, per Venas exiles tenui sero dilutus, naturali spiritu velut manu deduceretur in vniuersam corporis molem, ubi partis cuiusque innato calore denud elaboratus defecatusque, per cutis poros educta serij portione, tandem facesseret in fetus substantia, cuius perenni- nus effluxus alimento simili resarciri debuerit.

ROPAGATA venarum sobole, & iccoris parenchymate compacto, cum perfectiorem ex corde viuendi rationem appeteret fetus, duae arteriae umbilicales ad securitatem in iliacas insitae procreantur: è quibus producta aorta sanguinem Vitalem è matris arteriis ad cordis fabricam hauriret, Valvulis nondum illi opposi- tis, quae intus aperta, foris clausae, corde iam ab soluto nihil quicquam admittunt, ita vt ne spiritum quidem & sanguinem Vitalem maternum affluerent ad vi- ta munus necessarium, lenum cordis sinum subire sinant, quem idcirco in summo aorta orificio diutius morantem non sine iam no vitae periculo putrere necesse fo- ret, ni natura solerti anastomosi arteriae magna cum vena arteriosa pulmone nutriendo destinata, Vitalem istum sanguinem in venam arteriosam derivari curaf- set, pulmone alendo accommodatum, qui licet immotus (quippe cum ore non respueret fetus in utero) ex tenui tamen pura puta sanguinis portione constatus, purum tenuemque sanguinem in alimentum desiderabat.

MATERIAE defectu cum embrii cor staret immotum, illiusque otiosa quiesceret vitalis facultas, natura rationis & consilij plena, alteram ana- stomosi vena causa cum arteria venosa parauit: cuius beneficio sanguis longo via tractu preparatus, è vena causa, recta ferretur in arteriam ve- nosam, mox sinistram cordis ventriculum ingressurus, cuius perenni systole & diastole ab arteriarum pulsu omnino diuersa, rursus excoctus, spiri- tus naturam sortitus, corpori vniuerso per arterias distribuere, vimque propriam proprij cordis impertiret, quod principale corporis regimen par- tibus omnibus vitam fanerat.

CEREBRI postrema fuit ex semine formatio, animalis facultate non ita necessaria, cuius etiam sunt obscurae vires in foetu tenello, qui naturali imprimis & vi- tali facultate vigente, partium nutritioni & accretioni duntaxat studet totiusque incumbit, licet temporis progressu, quae immodico cerebri humore obruta veluti sopita animalis facultas videbatur, discusso torpore, tandem exsurgat ad opus, seseque manifestet motu, tardius quidem faminis, maribus ocyus cuius tamen in virisque, vt ad partum triplex intervalum est, sic à conformatione duplex, firmatus partibus, quarum robore viribusque indigeret ad agendum motrix facultas, ab appetite distincta, quae iam instructus fetus, mox rationis lumine illustratur mente colitur infusa.

Ergo proprij cordis in foetu actio est vt hepatis & cerebri.

PONEBAT NICOLAUS PIETRE PARISINVS, ANNO DOMINI 1596.

DOMINI DOCTORES DISPV TATVRI.

M. Ioannes le Moyne.
M. Stephanus du Four.
M. Claudius Boyuin.

M. Philippus Harduin de saint Jacques
M. Claudius Fauuelet.
M. Ludouicus Dreux.

M. Hugo Preuosteau.
M. Nicolaus Ellain.
M. Nicolaus Millot Dec. & Medicus Regius.